1584

Gratulatoria acclamatio
IN NVPTIIS
ERVDITI IVVENIS, IOANNIS SKALAE, VVODNIANI, & ANNAE PACHAEAE tertiùm maritæ.

Auctore
MATTHAEO HOSIO,
Altæmyteno:

Calci adiecta est eorundem coniugum precis, ODE Thomæ Mitis Lymusæi.

Auctor ad DEVM.
Qui mihi nascenti lucem, vitamq́; dedisti,
Des sedem in cœlo, post pia fata, DEVS.

PRAGAE,
Excudebat Georgius Nigrinus.
An: Sal: M. D. LXXXVIII.

PSAL: CXXVII.

Beati omnes, qui timent DOMINVM.

ESt felix, q̄cunq; DEVM reueretur, & eius
Pectore ſincero tentat inire vias.
Ipſe labor manuum fidos enutriet omnes:
Prouenient votis proſpera cuncta pijs,
Illius thalami conſors propagine gaudēs,
Cêu vitis gignet germina chara viro:
Accumbēt nitidę menſę pueri atq; puellę
Demittentq; manus in gremiū teneras.
Is dilecta ſui ſpectabit pignora lecti,
Ac dicet ſummo carmina grata DEO.
Sors tali veniet non fallax vlla marito,
Qui celebrat vera ſimplicitate DEVM.
Quin etiam cernet felicia fata Sionis,
Donec in hac mūdi valle ſuperſtes erit.
Adnumerās ſeros chara cum ꝓle nepotes
Tranquillę pacis cōmoda multa feret.

GRATVLATORIA ACCLAMATIO PHOEBI MVSAGETAE.

QVis nouus inuadit mœrentia pectora plausus?
Cur Cytharæ complent varijs concentibus auras?
Littora cùi plaudunt lituis sonituq; tubarum?
Nobilium splendens comitatus quid sibi tantus
Vult? dicam: Musæ vos hæc mea figite dicta
Nunc animis vestris: Diuinam noscite causam.
Est locus, Hercimiæ quem cingunt iugera syluæ,
Et piscosa rigat rapido piscina refluxu,
Qua gaudens fruitur VODNIANA vrbs secula multa:
Partibus è cunctis splendescit rupibus altis.
Rusticus hîc etiam fœcundam vomere terram
Scindit, per segetes tauros vel pascit aduncos.
Nobilis aut pauidas venatur per sola Damas,
Aut canibus prêndit lepores, configit & vrsos,
Cornigerosq; itidem sua per venabula ceruos.
Hîc locus est vrbis, VODNIANAE nomine dictæ,
Attollunt cuius sese super æthera pinnis
Mœnia, quæ struxit quondam generosa propago
CZECHIADVM, patrios liquit dum spontè penates,
Atq; per anfractus rigidos & vasta locorum
Saxosis horrenda iugis, faucesq; malignas.
Alpibus euictis longo magnoq; labore,
Venit in hos fines, salebris & montibus asperos,
Qui fuerant quondam (dictu mirabile) cunctis

 Silu-

Siluicolis vmbrosa feris habitacula tantùm,
Tunc, ô ZRITE, tuo sedes sub vertice ponit,
Aspera complet item, populo ILLYRICO loca saxis,
Augens nempe tuos fines BOIEMICA tellus.
Hæc gens chara Deis, quam clarus nomine magno
CZECHIVS extendit, cuius per sæcula longa
Fama viget proceres inter celeberrima mundi.
Linquit enim Ciues, quos te inclyta robora regni
Et firmas, nunquam pudeat dixisse, columnas.
Exemplo est nobis præstans virtute propago
SKALAE: quæ sumpsit nomen de rupibus altis,
Rupibus vmbrifera scopulorum cote refertis,
Hæc Vrbem coluit VODNIANAM à tempore longo
Stirps SKALAE, cuius teneras quoq; rexit habenas,
Summo conseruans studio legalia iura.
Hoc probat ipse senex, qui nomine gaudet ADAMI
Hactenus & retinet SKALAE cognomen auitum.
Cuius non sit opus meritum producere verbis,
Constat enim cunctis, quàm comis, quamq; benignus,
Quàm virtute grauis sit: quàm pietatis honore
Præsit, & officio fidi frugiúe Parentis,
Munus Primatis magna dum laude peregit.
Hic genuit natum, Pallas quem nectare sacro
Imbuerat, citius quò Numina montis adiret
Parnassi, & liquidas gustaret fluminis vndas,
Bellorophontæus quod Equus signauit in antris.
Tandem post magnos, duros, longosq; labores,
Laurea serta suo capiti posuêre Camenæ,

Hic vbi

Hic vbi CAROLEI posuit fundamina Ludi,
Atq; dedit proprio nomen de nomine Cæsar.
Artibus ornatus, claris quoq; dotibus auctus,
Officio patriæ voluit prodesse Iuuentæ,
Quando GLATOVINI suscepit Munia Ludi
Hic vbi, BOIORVM contingunt sidera montes,
Hic vbi spectantur nostræ confinia terræ,
Illic Aonias tradebat gnauiter artes,
Et teneram primis pubem formauit ab annis
Moribus, & pietate, duos fortasse per annos.
Is Iuuenis forsan COLLLINAM venit ad vrbem,
Vt vitam, & mores varios, antiqua videret
COLLINAE decora, & veterum monumenta virorũ,
Sed postquam flexit properos ad littora gressus
ALBIDOS vt tumidi lymphas & mœnia lustret
Vrbis, flexiuagos cernens per flumina curua
Currentes pisces, sinuosa cacumina montis,
Et multas vrbes, celeres in littore Ceruos,
Phasiacas volucres, anates, fulicasq; palustres
Conspicit errantes inter loca consita dumis,
Constitit hîc, placidisq; sonis sua pectora placat.
Ergò dum curis districtior errat in agro
Floribus herbarum varijs quoq; lumina pascit,
Nactus ibi viduam PACHEORVM germine natam,
Quam genus, & pietas, roseoq; MODESTIA vultu
Exornant, vt non splendens mage Lucifer alto
Pulchrius orbe micet, radiosq; per æthera spargat.
Hanc sibi in vxorem poscit pietatis amore,

Quam præstans habuit virtute ROSACIVS olim:
Sed dum sidereum fuerat sublatus ad axem,
NICOLEO liquit ALETINI agnomine pulchro,
Quòd virtutis amans, studio & vigilante Camænas
Excoleret liquidis haustu de fontibus vndæ.
Illorum eximias virtutes, sacraq; magni
Ingenij monumenta, pij quoq; pectoris artes
Si spectes, obitosq; inuicto corde labores,
Dixeris hinc dignos æternæ laudis honore.
Ambo quidem dura defuncti mole laborum,
Nunc tandem cæli gaudent sine fine, quiete.
Hanc viduam accedit Iuuenis, bene fortibus ausis,
(Dum præeunte DEO felix se occasio præbet,)
Mox sibi sollicito celatas pectore flammas
Detegit, ac animum tentat sermone, petitq;,
Præbeat vt facilem precibus se, spernat amorem
Neuè suum: placido capiens data munera vultu,
Seq; tori sociam promitteret esse futuram.
Talia dum fatur, trepidanti pectore dicit;
Te mihi, post varios casus, post longa viarum
Tædia, consortem vitæ, comitemq; laborum
Autor Coniugij delegit: tempore quouis
Qui fortunam hominum, simul infortunia curat.
Annuit ANNA pijs precibus, tum munera sumpsit,
Mox & amatori puro de corde fauere
Cœpit, tum versare diu moresq; genusq;,
Ingenium ac eius, fortunæ & simplicis vsum,
Omnis & euentus finem, & quæ commoda posthac

Ind

Inde fluent; vigilanti examine pensat.
Inter tot cætus postquam fortuna procerum
Absoluit cæptum SKALAE feliciter, atq;
Ipsemet est plenum sortitus culmen honoris,
Mox dignas sorti fortunæ dicere laudes
Cæpit, deîn studio proprijs intendere rebus,
Ad certum quo rem posit deducere finem.
O præclara dies multosq; canenda per annos,
Qua petit hîc SKALAE thalamum pia Sponsa pudicum.
Qui sponsus noster, rutili sub sidere cæli,
Vrbis COLLINAE sublimia mænia scandit.
Ingentes hominum cætus mixtæq; cateruæ
Plaudentes, scandunt superati culmina montis,
Cum senibus Iuuenes, matronæ cumq; puellis.
Hinc plebs spectandi studio sese vndiq; tectis
Effundit; cupiens pia carmina fundere tædis,
Et noua solenni testari gaudia plausu;
Sospes sponse subi COLLINVM, iam nouus hospes,
Gratus eris SPONSAE; tibi fausto sydere sternit
Hæc thalamum, dulcesq; thoros; lætosq; Hymenæos,
Te cupiens SPONSVM succenso corde videre,
Atq; suam dextram stipulatæ iungere dextræ.
Ponite corde metus lætum Pœana canentes;
Lætus, Hymen, lætum carmen, leta omnia poscit.
ANNA PACHAEA feret pro saluo dona marito.
Hunc ipsi seruet sanum per sæcula multa
Is, qui sideream cœlorum dirigit arcem,
Secum vt longæuos feliciter exigat annos,
Et faciat tandem se pulchra prole parentem.

CALLIOPE.

ORdinis ipse boni, sapiens, iustißimus autor,
AEterno leges protulit ore DEVS.
Ne genus humanum, ceû bruta animantia quæuis,
Esset in impuris sedibus atq; thoris.
Coniugij stabilis primùs firmißima sanxit
Fœdera, quæ sanctè præcipit ipse coli,
Et duo constanti vult ordine corpora iungi,
Ex quo proueniat certus & vnus amor.
Nam DEVS æternus verè castißima mens est,
Præcipit & castas dicere sæpe preces.
Coniugium ipse pijs seruat, lectumq; iugalem:
Egregio castas ornat honore domos.
Exemplum clari capias insigne IOSEPHI,
AEgypti Princeps & Pater ille fuit.
Aspice THOBIAM iuuenem castumq; piumq;,
Is thalami felix munera digna tulit.
Quilibet ergo piè sic iura iugalia seruans,
A CHRISTO capiet præmia magna DEO.

CLIO

ANNVLVM SPONSAE OFFERT.

ANNA, si leue dat tibi IOHANNES
Munus, sat pietate sed refertum:
Vultu id suscipe (ceû decet) sereno,
Et verbis quoq; comproba benignis.
Est spectanda tibi magis mariti

Mens

Mens, ſincera fides, amorq́; verus.
ANNVLVM hunc equidem pio fauore
Ductus, dat tibi, ſat volens placere.
Lætentur pia corda, gratiaſq́;
Autori Domino, pijs rependant
Semper carminibus, preces pudicas
Fundentes, miſeris opem rogatus
Vt præſtet, faciatq́; eos ſuperni
Ambos participes deinde regni.

THALIA.

IANE, Muſarum ſtudijs amice
Cultor, ac noſtri generis patrone,
Tempus en dextris auibus recurrit,
Luceq́; læta,
Quo maritalem celebras thorum vnà
Cũm pia, caſta vidua, & venuſta
Coniuge, vt caſtum ſubeas iugati
Fœdus amoris.
Ambo felices nimium, quòd ambos
Vos amor iungit pius, ac honeſtis
Annuens cæptis DEVS, his benignas
Porrigit aures.
Ergo nunc omnes celebremus ipſum,
Qui fuit vitæ reparator almæ,
Laudibuſq́; illum ſuper alta cœli
Aſtra feramus.

EVTERPE.

Dicite Pegasides Hymenæia carmina Musæ;
Ac celebrate DEVM.
Soluite supremo lætæ pia vota parenti,
Carmine gratifico.
Fœdere perpetuo quòd iungit pectora bina
Mortis adusq; diem.
Coniugium DEVS instituens, DEVS ipsemet auctor,
Approbat, auget, amat.
Ne quicquam maius possit virtutibus almis
Esse sub axe poli.
Idcirco, nullus sibi non maioribus optat
Dotibus hisce frui.
Nec thalamo tali quicquam scit pulchrius esse
Quod sit in orbe v[illegible].
O Hymenæe veni, decus immortale marito
Adde & opem thalamo.
Lætus cum socijs nunc dulcia carmina pangas
O Hymenæe Hymen.
Tu quoq; sis facilis thalamo Saturnia Iuno
Tempus in omne, precor:
Sis facilis, lætisq; auge successibus illum
Mortis adusq; diem.
Et talem Sponsam, Sponso gratare IOHANNI,
Laus gregis Aonij est.
Addecet Aonides meritis celebrare IOHANNEM
Laudibus, atq; sonis.

ERA-

ERATO.

FIdelis est vester DEVS,
Qui vos sinet tangi minùs
Terrore nullo, seu metu
Qui frangerent vestram fidem.
Sed vertet à vobis malum,
Quo vos Sathan vult perdere,
Mundus, caro tum seducere,
Hæc omnia auferet DEVS.

POLVHYMNIA

Offert Sponso Lauream cum Cithara, Lilijs, Violis, Hyacyntho.

FAusta dies iterum
Lumina clara refert,
Dulcia Coniugij
Fœdera Sponsus *init.*
Plaudite cum pueris,
Cum senibus; iuuenes,
Et date lætitiæ
Signa futura nouæ.
Fœdera nam thalami
Prospera SKALA *subit:*
Scilicet vt repleat
Ipse domum patriam
Prole pia, & per eam
Clarior esse queat.
Huic DEVS *addat opem,*
Dotibus eximijs
Cêu thalami sociam
Iungit amore pari.
Diuitis haud tibi fert
Magna talenta Mydæ,
Neué etiam, rutilans
Quas habet Hermus, opes.
Vilia sunt, fateor,
Quæ modò Sponse damus:
Sunt tamen hæc eadem
Digna fauore tuo,
Laurea serta quidem
Hæc tibi perferimus

Serta

Serta tuo capiti
Quæ dedit alma Venus:
Frigora quò nequeant
Sæua nocere sibi,
Fulmine nec valeant
Tangier æthereo.
Plectra canora lyræ,
Cum Citharaq; Chelym,
Sponse *diserte, tibi*
Mittit Apollo pater,
Testificans animi
Debita signa sui,
Quæ teneare animo
Voluere sæpè tuo:
Insuper offerimus
Lilia pulchra tibi,
Purpureas violas,
Florem, Hyacinthe, tuum.
Quàm benè conueniunt
Munera tanta tibi?
Biblica scripta docent
Quà ratione queas
Viuere cum propria
Coniuge, quæ valido
Pectus amore tuum
Poßidet, omne probans,
Quod tibi cunq; placet:
Scripta sacrata monent,
Quæ facienda viro,
Quæúe ferenda forent.
Murus aheneus est
Mens bona, firma fides,
Versus & in nihilum
Tristis amaror abit.
Hæc vbi conspicies,
Tecum habitabis vti,
Sic reputabis ita:
Perbreuis est hominis
Gloria, vita, status.
Credo, precorq; DEVM,
Nostrum vti coniugium
Prole pia cumulet.

MELPOMENE.

DOnent nunc alij tibi IOHANNES
Indorum preciosa dona Gazæ
Donamus tibi poma nos amara,
Quæ Medûm regione terra gignit,
Quamuis succus amarus insit illis,
AEgris

AEgris ille tamen ſalutifer fit.
Si te, SPONSE, iugum premet iugalis
Lecti, & multus amaror, aut mali quid
Poſthac eueniet, DEO volente,
Id perfer patienter omne, ſperans
Quòd poſt nubila, lucidus redibit
Phœbus, lucidulum iubar reducens:
Cœlos poſt obitum, dabitq; CHRISTVS.

TERPSICHORE.

SPONSA iam dilecta tibi ſalutem
Hanc fero, tum MALA COTONEA addo,
Quæ Cydon profert riguis ab hortis
Tempore verno.
Nam Solon valde Sapiens Athenis
Mandere hæc nuptas voluit nouellas
Poma, quæ ſuâuem tribuunt odorem
Omnibus æquè:
Hinc nouæ SPONSAE penetrant odores
Labra: dum mõſtrat animum iocundũ,
Semper, & facundia grata blando
Manat ab ore.
Alterum fructum tibi dant COTONA
Mala. quò magni facias maritum,
Vnicè ac illi ſtudeas placere
Tempore cuncto.
Iurgia, Iras, Inuidiam, furorem
Pellat à veſtro DEVS ipſe lecto:
Cuncta fortunet DEVS ipſe veſtri.
Cœpta laboris.

VRANIE.

GRatulando iubilemus,
Iubilando proferamus
Vota nunc connubiorum.
Sponſus en noſter Vodnianus
Copulatur ANNAE IäNVS
Nuptiaſq; concelebrat.
Omnis his crux auferatur;
Cura mentis deleatur
Gaudio ſolatiorum.
Proſper ille ter quaterq;,
Cuî datur frui quiete
Cum thori conſorte dulci.

Eorundem coniugum precis,
ODE Thomæ Mitis Lymuſæi.

TE patrem ingenitum, DEVS,
Per ſacrata tui nomina filij,
Per Spiraminis incliti
Amborum, petimus nunc animis pares,
Votiſq; vnanimes pijs,
Deſponſare velis nos tibi per Fidem,
Vnire ac Nurui tuæ
Vera in Iudicij Iuſticia tui:
Verè vt te Dominum & DEVM
Noſcamus famulis propitiabilem,
Qui vitam magè, quàm necem,
Sontis, quò tibi ſit redditus, expetis,

Pro-

Proles vngenita ô DEI,
Corpus iunge tuo hoc corpori, & insere
Firmo glutine nexuum;
Mens vtraq; tibi sorte vt adhæreat,
Vitæq; & Sapientiæ
Succum ex ore tuo plenius hauriens,
Sacro inserta sit agmini
Contra vim Satanæ, perfidiam, dolum,
Mundi tum furias feri,
Carnisq; illecebras exitiabiles.
Massæ nos etiam tuæ
Insertos, refoue, gesta, ale, robora,
Et lytro meriti tui,
A cunctis scelerum sordibus ablue,
Exornaq; tuis bonis,
Et donis patrio munere præstitis,
Nos purga lateris tui,
Permistu laticis, sanguine profluo,
Irroraq; oleo caput
Vestitis lauacri sindone candida.
Flatus sancte, & IAS bonè,
Quo plantatur amor, corq; fidelium.
Id tu legitimo in thoro
His, nobisq;, tuis imbue dotibus.
Asmodæus eat procul
Hinc, nos inter vti jurgia non serat.
Dones, suspicionibus
Securis, itidem dissidijs sine
Hîc viuamus, at hinc quoq;
Scandamus superas cœlituum domos.

